



# The Holy See

---

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

***QUO CARDINALIBUS ORDINIS PRESBYTERALIS ATQUE  
DIACONALIS CHARACTERE EPISCOPALI NON INSIGNITIS  
CONCEDITUR USUS CRUCIS PECTORALIS\****

Crux pectoralis, quamvis sit particulare signum episcopalis dignitatis, tamen Episcoporum ita propria non est, ut nemo Praelatus ea legitime usus sit et utatur; constat enim inter omnes, eam nonnullis cleri saecularis et regularis dignitatibus, diversis temporibus, opportunis cum cautelis ac cum plus minusve amplis restrictionibus, S. Sedem concessisse. Quod admittitur et confirmatur a Nostro Motu Proprio 21 Februarii vertentis anni, quo concessimus Protonotariis Apostolicis de numero participantium, necnon Supranumerariis et iis qui ad instar participantium nuncupari solent, *ad ecclesiam accedentes pontificalia celebraturi ab eaque recedentes*, Crucem pectoralem ferre eo modo, quo illic aperte exponitur. - Modo, Nobis perpendentibus Cardinales Sanctae Romanae Ecclesiae, iuxta Summorum Pontificum, Nostrorum Praedecessorum, sententias « esse praecipua Pontificis membra; repraesentare Apostolos Christi ministros; Dei Vicarium tamquam consiliarios et adiutores in regimine catholici orbis adsistere; ad Collegium Apostolicum vocatos, coniudices totius mundi fieri; similes regibus esse, et iure veros cardines vocari, quibus vertenda sit Ecclesiae ianua, et firma et stabilis manere »; Nobis maxime et omnino conveniens visum est illos, in sacris insignibus aut signis utendis, nemini inferiori Praelato, esse vel videri quoquo modo secundos. - Hinc igitur, cum ius publice ac private ferendi Crucem pectoralem in omnibus Episcopis admittitur atque, praesertim pro sacris functionibus solemnibus, in nonnullis aliis Praelatis saecularibus et regularibus: ut publice ac private sublimis dignitas Cardinalitia magis magisque honorata appareat, etiam in membris S. Collegii episcopali dignitate non insignitis; Nos omnibus Cardinalibus praesentibus et futuris Ordinis presbyteralis et diaconalis, qui Episcopi non sint, in perpetuum et absque ulla restrictione concedimus, ut publice et private se Cruce pectorali ornari possint; volumus insuper et praecipimus ut in hoc nihil intersit Cardinales characterem episcopali insignitos inter et illos eodem non insignitis; ita ut omnibus concedatur et omnes ferre

debeant dictam Crucem pectoralem, etiam coram Romano Pontifice; et ab hac die ius ferendi Crucem proprium sit non minus Cardinalium non Episcoporum, quam aliorum, et Episcoporum totius orbis. - Nullam atque irritam declaramus quamvis contrariam exceptionem vel restrictionem, et stabile et firmum, quod in hoc Nostro Motu Proprio continetur, tenendum esse decernimus.

*Datum Romae ex Aedibus Vaticanis, hac die 24 Maii 1905, in festo B. M. V. Auxilium Christianorum, Pontificatus Nostri anno secundo.*

**PIUS PP. X**

---

\*AAS, vol. XXXVII (1904-05), pp. 681-683.

---

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana